



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Sectio quarta. Quomodo Christus vt Deus adorandus sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

velicet vnum obiectum increatum sit, aliud verò creatum, & ideo in suo esse vniuocè non conueniunt: nihilominus habitudines ad illa, quæ creatæ sunt, & actus, ac habitus, qui illas includunt, possint vniuocè rationem aliquam participare, præsertim quia interdum habitus, vel potentia, quæ in se omnino vna est, potest obiectum respicere, quod secundum analogiam tantum vnum est, vt in intellectu, & voluntate videre licet. Solum in vsu nominum est obseruandum, aliud esse loqui de nominibus significantibus rationes communes, & abstractas, in quibus procedunt omnia, quæ diximus, tale enim nomen est, *adoratio*, talisque est ratio quam per se primo significat. Aliud verò est loqui de nominibus significantibus rationes específicas, in quibus contingit, vt nomen vnius speciei per attributionem, & analogiam tribuatur alteri, vt cum homo dicitur leo: sic enim fortasse dici potest sub ratione cultus religiosi adorationem dulcè esse analogice cultum, si cum latría conferatur, quia religio propriè & per se significat specialem virtutem ad colendum Deum institutam, sicut è contrario interdum indicat D. Tho. religionem dici pietatem, vel dulciam per quandam quasi analogiam, qua nomina creaturarum transferuntur ad Deum secundum quandam excellentiam, vt loquitur D. Tho. 2. 2. q. 101. a. 3. ad 2. & 103. art. 3. ad 1.

*D. Thom.
Adoratio
nis d. i. i. i.
in absolu-
tam, & re-
spectiuam*

Tertiò principaliter diuidi potest adoratio in absolutam, & respectiuam, sicut enim potest voluntas rem aliquam amare, vel per se, quia in se bona est, quæ potest dici absoluta dilectio: vel propter aliud ad quod est utilis, quæ potest dici dilectio respectiua, seu electio: ita potest velle rem aliquam adorare, vel propter se, seu propter intrinsecam excellentiam, quam habet, & hæc dicitur adoratio absoluta, vel propter aliud, seu propter excellentiam quæ est in aliqua persona, ad quam talis res aliquam habitudinem habet, vel coniunctionem: & hæc dicitur adoratio respectiua. Priori modo tantum est adorabilis res intellectualis, quia sola illa est capax honoris & excellentiæ propter se honorabilis, seu adorabilis, vt virtutis, sanctitatis, dominii, &c. Præsertim, quia cum homo sit naturæ intellectualis, non potest prudenter, honestè, ac iuxta dignitatem suam alteri rei submittere propter eius dignitatem, nisi sit eiusdem, vel excellentioris naturæ, & excellentiam aliquam, vel dignitatem habeat, naturæ intellectuali conuenientem. Posteriori autem modo adorabiles sunt res inferioris ordinis, quia cum non propter se, sed propter alicuius rei dignitatem, & excellentiam colantur, honor illis exhibitus non in illis fit, sed in ipsas personas, propter quas adorantur, redundat. Quæ omnia fusius in sequentibus disputationibus explicanda sunt. Neque oportet iterum hic morosè discutere, an hæc diuisio vniuoca sit, vel analogica, nam de re fere dialectica satis dictum est, & quæ in præcedenti diuisione sunt dicta, facile possunt hic accommodari. Ipsi enim actus morales in communibus rationibus vniuocè conueniunt, quamuis sub nominibus significantibus speciales aliquas perfectiones, possint interdum per translationem, seu analogiam denominari. Quæ omnia notanda sunt, multum enim conferent ad ea intelligenda quæ in disputationibus sequentibus tractabimus.

SECTIO IV.

Quomodo Christus vt Deus adorandus sit.

Questio hæc de tota Trinitate, & de singulis personis, quatenus sunt vnus Deus, versari potest, cum enim de fide certum sit, Christum esse verum Deum, vnumque, ac eundem cum Patre ac Spiritu sancto, consequens sit, eamdem quæ Deo, & ceteris personis, adorationem illi esse debitam: agamus igitur simpliciter de Deo, inde enim, quid de Christo vt Deo dicendum sit, faciliè constabit.

Principio igitur Deum esse adoratione dignum, per se notum est; neque probatione indiget, cum nomine Dei rem summe excellentem significemus. Vnde etiam sit, sicut excellentia Dei singularis est, & omnes creaturas superans, ita cultum, & venerationem illi debitam singularem esse, omnique creaturæ incommunicabilem per se & absolute: quod totum de fide est, vt constat Matth. 4. Deuteron. 9. & Matthei. 10. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruis, vbi Græcè est verbum *λατρεύεις* quo singularis Dei cultus significatur, vt dictum est, & notarunt Augustin. lib. 3. cont. Maxim. c. 23. & Anastas. Episc. VII. Synod. Angliæ. act. 4. post medium. Et de hac Dei adoratione loquitur Paul. 1. ad Timoth. 1. cum dicit, *Soli Deo honor, & gloria, & ad Rom. 1. Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt. Et in eandem rem multa congeruntur ex patribus in VII. Synod. act. 7. & quæ VII. Synod. præ adduximus de nomine latría hoc confirmant. Ratione præterea confirmari potest, quia diuina maiestas, & potestas, prout in ipso est, nulli creature communicari potest. Propter quod vera de Deo existimatio, alteri communicabilis non est, sed adoratio diuina ex tali existimatione procedit, & in propria Dei excellentia nititur, & ideo singularis est & illius propria. Sicut etiam singularis fides & amor illi debentur, quia proprie, & excellenti quodam modo verax, & bonus existit.*

Duo verò occurrunt circa veritatem hanc explicanda. Primum est, an hæc adoratio latría, prout in Deum ipsum singulariter conuenit, sit vnius rationis, vel plurium. Et ratio dubitandi esse potest, quia Demas. orat. 3. de imaginib. fol. 5. quinq. distinguit titulos, propter quos Deus, latría coli potest. Primum est supremum dominium Dei. Secundus suprema gloria, & sanctitas. Tercius maxima beneficentia erga homines. Quartus quoniam ab illo speramus omne bonum. Quintus denique quia illum offendimus. Quinque possumus hoc modo plures alias, ac pene infinitas rationes colendi Deum, ratione distinguere, nimirum, quia est sapiens, quia iustus, quia misericors, &c. Nam propter hæc singula attributa dignus est summo honore. Nec refert, quod attributa hæc non re ipsa, sed sola nostra ratione distinguantur, hoc enim ad distinguendas virtutes sufficit, sicut caritas & fides virtutes distinctæ sunt, & altera diuina bonitate, altera veritate nititur, quam in Deo bonitas, & veritas sola ratione discernantur. Et eodem fere modo caritas & spes inter se distinguuntur, quia altera in Deum, prout est bonus in se, tendit; altera, prout est bonum nostrum: sic igitur adorationes distinguere poterunt. Et confirmatur ex Aug. q. 94. in Exod. dicente, *Deo vt Deo, laetitia, vt Domino vero dulciam deberi*, quod hic retulit D. Tho. ex glossa in Psal. 7. at verò dulcia, & latría diuersæ adorationes sunt. Confirmatur denique ex S. Th. in 1. 2. q. 102. a. 3. ad 3. vbi tria sacrificiorum genera, quæ Deo offeruntur, distinguit. Vnum est holocaustum, quod offertur Deo, vt in se est supremæ maiestatis, & excellentiæ, aliud est hostia pacifica, quæ respicit Deum vt supremum benefactorem: tertium denique est hostia pro peccato, quæ offertur Deo vt Saluatori. Vnde Scot. in 3. d. 9. obiter indicat quæstionem, an hæc tres rationes Dei vt sic, Creatoris, & Saluatoris, species adorationum distinguant: an posteriores duæ ad latriam pertineant, quia videntur, quodammodo esse rationes creaturæ, & extrinsecæ Deo. Propria verò latría in excellentia increata, & intrinseca Deo fundari debet. Et nihil definit.

Nihilominus dicendum est, vnam & eandem esse virtutem, quæ propter has omnes rationes Deum colit, & adorat, quæ communis est Theologorum sententia in 3. d. 9. præcipue D. Thom. q. 1. artic. 3. A. D. Thom. lenf. 3. p. q. 30. memb. 1. art. 3. §. 2. & 3. Gab. lect. 49. in d. cano. Quod ita ostendit D. Thom. 2. 2. q. 81. a. 3. ad 1. & quæst. 84. art. 1. ad 1. latría datur Deo vt est primum princi-

Malach. i. principium, & pater omnium *Malach. i.* *Siege pater* A
Vna. & ea- ubi est honor meus? Sed in ratione primi principij o-
dem virtus mnia diuina attributa continentur, ex quibus vnica
religionis, & simplicissima excellentia diuina per quendam in-
etiam pro- effabilem identitatem veluti resultat, ergo virtus re-
seruatus ligionis vna est, quæ hanc Dei excellentiam respicit
Deum ado- vt formale obiectum, & fundamentum cultus, quæ
rat. & co- Deo exhibet. Cui rationi addi potest, idem omnino
lit. esse, si Deus in ratione Saluatoris, vel prout in se est, suprema maiestatis, consideretur: quia sub quacun-
 que harum rationum omnia diuina attributa for-
 maliter includit. Quod si diuinam essentiam à suis
 attributis ratione distinguamus, id nihil obstat,
 quia eadē virtus, quæ naturam diuinam propter suā
 eminentiam veneratur, consequenter etiam in illa
 colit perfectionem omnem, quæ ex natura rei cum
 illa coniuncta est, aut nostro intelligendi modo ab
 illa manat. Sicut virtus, quæ honorat hominē, quia
 homo est, eundem etiam, quia intellectum, vt vo-
 luntatem habet, honorabit.

Dubium.

Responsio.

Anton. de
Cordub li
1 Theologic
ca questio
num. 9. 1.
dub. 2.

Sed quid est dicendum de actibus? Multi enim
 dubitant, propter rationes in principio factas, & quia
 nihil obstat quominus idem habitus plures, ac dif-
 ferentes actus eliciat, sicut eadem potentia diuerso-
 rum actuum, & habituum est capax. Qui modus di-
 cendi fortasse non est improbabilis. Contrariam ta-
 men sententiam, sicut communiorē ita & proba-
 biliorē exilimo. Itaque omnes illi actus in ratio-
 ne diuini cultus, & latræ eiusdem speciei esse viden-
 tur. Et ratio reddi potest primo, quia nulla diuina
 perfectio est sufficiens latræ fundamentum, nisi
 prout simpliciter infinita est, & increata; ergo licet
 nostris conceptibus hæc attributa distinguamus, ta-
 men nullum eorum est ratio exhibendi Deo cultū
 latræ, nisi prout includit reliqua, & in se, & in ap-
 prehensione nostra saltem implicita & confusa, nimi-
 rum quatenus in quolibet eorum in creatam, & infi-
 nitam excellentiam, ipsique Deo propriam, & sin-
 gularem spectamus. Exemplum huius rei esse potest
 charitas, quæ, si Deum diligit super omnia actū su-
 pernaturalē, & infuso, actus eiusdem rationis erit, si-
 uetendat in Deum explicite consideratum vt infi-
 nite bonum, siue infinite sapientem, aut potentem,
 &c. Quia reuera amor semper fundatur in infinita
 Dei bonitate, & perfectione, quæ omnia hæc inclu-
 dit, & est propria; & adæquata ratio talis amoris:
 quamuis modus concipiendi ex parte nostra diuer-
 sis sit, qui in ipsius conceptibus efficit diuersitatem,
 quia speciebus intelligibilibus, & medijs, quibus in-
 tellectus ad concipiendum vtitur, commensuratur:
 & vero actus voluntatis non inde distinguuntur,
 quando ratio, quæ in obiecto concipitur, & volun-
 tatem mouet, eiusdem rationis existit.

Ex quo infero dubium non esse, quin honor da-
 tus Deo titulo Creatoris, vel Saluatoris vera latræ
 sit, & ad religionem pertineat, quidquid enim sit de
 differentiâ specificâ actuum, quæ in quæstione ver-
 ti potest: tamen de veritate latræ nulla dubitatio,
 vnde incertitudo admitti debet: quia totus hic honor
 est singularis, ac proprius Dei, sicut & excellentia ip-
 sa, est ergo latræ. Deinde si attente res considere-
 tur, non fundatur in ratione creata, sed in excellen-
 tia increata. Quod ita declaro, quia in titulo Creato-
 ris duo expectari possunt, alterum est creatum bo-
 num, quod in creatura ponitur: alterum est pote-
 stas, quam Deus retinet in creaturam suam, quæ re-
 uera est, dominium supremum, & excellens Dei. Ho-
 nor igitur non datur Deo propter bonum quod in
 creatura posuit, ita vt hoc sit proximum motiui ad
 orandi: sed propter dominium, & potestatem, quam
 in se habet. Quæ potestas increata est, ad singularem
 Dei excellentiam spectans, pertinet ergo dictus ho-
 nor ad veram, & perfectam latræ. Et eadem ratio
 est, si Deus sub ratione Saluatoris, aut Benefactoris
 consideretur.

Fr. Suarez, Tom. 1.

Quod si fortasse aliquis specialiter inquirat, quid
 sit dicendum de actu gratitudinis, seu de singulari
 debito, & obligatione, quæ ad gratias Deo agendas
 pro beneficiis susceptis, ex eisdem resultat & in eis-
 dem quamuis creata sint versatur, ea referendo in
 benefactorem Deum, & pro illis gratias ei agendo.
 Vnde proximè ea respicit, vt materiam circa quam
 versatur. Respondetur, hunc actum diuersum sine
 dubio esse posse ab eo, de quo agimus, sicut enim o-
 rare actus esse potest ab adoratione diuersus: ita &
 gratias agere, quamuis in eadem virtutem religio-
 nis omnes referantur, vt latius tractat D. Tho. 2. 2. q.
 83. a. 17. & q. 106. a. 1. ad 1. posset vero ipsamet gratia-
 rum actio sumi in notam adorationis, sicut de ora-
 tione diximus sect. 1. Et idem dicendum est de satis-
 factione, quæ pro peccatis in Deum commissis illi
 offertur: est enim ex se actus hic ab illo cultu, de quo
 nunc agimus, valde diuersus, vt latius in materia de
 penitentia tractandum est.

Ad rationem ergo dubitandi in principio posi-
 tam respondetur, distinctionem rationis inter attri-
 buta diuina non semper sufficere ad virtutes, vel ea-
 rum actus distinguendos, nisi vel diuersus modus
 operandi nostrarum potentiarum ad distinctionem
 efficiendam concurrat, vt in amore, & cognitione
 videre licet, vel certe in diuersa habitudine, seu ra-
 tione, quæ in talibus attributis consideratur, hone-
 stas veluti genere diuersa reperiatur, vt contingit in
 charitate, & spe quarū prior ad amorē amicitiz, po-
 sterior vero ad amorē concupiscentiz pertinet, in pre-
 senti vero nulla ratio huius distinctionis reperitur.

Ad primam confirmationem respondeo, duliam,
 prout Deo vt supremo Domino accommodatur, re-
 uera latræ esse: vocari vero ab Augustino, duliam,
 tum vt indicet omnem rationem veræ adorationis
 in cultu Deo debito eminenter contineri, vt insinua-
 uit D. Thom. 2. 2. quæst. 103. artic. 3. ad primum, tum
 etiam, quia sicut nomē dominij aliquo Deo modo com-
 mune est Deo, & creaturæ ita & nomen duliæ, cuius
 ratio in dominio fundatur, commune est vtriq;
 quamuis nomē latræ soli diuinæ adorationi tribu-
 tum sit, vt diximus. Ita D. Thom. in 3. d. 9. q. 2. a. 1. ad
 1. Sed vrgebis, ex hac responsione sequi, latræ, &
 duliam prout Deo attribuantur non esse adoratio-
 nes specie diuersas, sed eandem conceptibus vel no-
 minibus generis, & speciei, conceptam vel nomina-
 tam: consequens est contra D. Thom. art. 2. vbi hoc
 exemplo probat distinctionem latræ & duliæ re-
 spectu Christi secundum diuersas rationes. Respon-
 detur, D. Thomam non vti illo exemplo, vt efficaci
 probatione, sed solum vt per quandam proportio-
 nem rem declaret, vt Caiet. insinuat. Nam sicut in
 Deo, propter rationes adorandi nostra solum con-
 ceptione & ratione distinctas, duo etiam conceptus,
 & denominationes adorationis distinguuntur: ita
 in Christo, propter duas rationes adorandi re distin-
 ctas, poterunt duæ adorationes specie distingui.

Ad secundam confirmationem patet responsio
 ex dictis, nam si illa tria genera sacrificiorum ad di-
 uinum cultum proximè referantur, poterunt qui-
 dem in materia, vel actu exteriori differre, non ta-
 men in interiori actu, seu ratione formali cultus: si
 vero vnum referatur ad Dei adorationem, & testi-
 monium diuinæ excellentiæ, aliud in gratiarum ac-
 tionem offeratur, aliud denique in satisfactionem
 pro peccato, poterūt in interiori actu habere diuer-
 sitatē, etiam si exterior fortasse interdum idem sit.

Secundo loco explicandum est, quænam sit hæc
 adoratio soli Deo debita, & creaturæ incommuni-
 cabilis, tam interna, quam externa. In qua re notan-
 da est differentia inter actus internos, & externos.
 Interni enim, quoniam Deum ipsum vt proprium
 suum obiectum attingunt, vel repræsentant, idcirco
 ex se, & natura sua tales esse possunt, vt ad solius Dei
 cultum referri valeant, huiusmodi sunt actus fidei
 diuinæ,

Ttt diuinæ,

August.
Greg. Niss.

Leontius.
Corduba
supra dubi.
6. & V. Val.
3. Tom. de
Sacramen-
talib. c. 17.
num. 4.

Quinā cul-
tus soli Deo
fit debitus

August.
Theodor.
D. Thom.
Exod. 22.

Iudic. 13.

Act. 14.

Sacrificiū
soli Deo
propriū

diuinæ, actus spei, charitatis, poenitentiae, & alij simili-
les. Actus verò exteriores non sunt ita ex se deter-
minati, quin tam ad venerandum Deum, quam ad
honorandam creaturam exerceri possint, quod nota-
uit August. dicto lib. 10. de Ciuit. c. 4. Greg. Nyssen.
citatus à D. Thom. in catena circa illa verba Luc. 22.
Postiū genibus orabat, ubi sic inquit; Quia humana na-
tura nihil habet Deo condignum, ideo honorifica signa, quæ
in uicem exhibemus, transsumpsimus ad obsequium incom-
parabilis naturæ. Quo fit, ut distinctio latræ soli Deo

debitæ ab adoratione creaturæ in his externis acti-
bus potissimum ex interiori intentione pendeat, ut

Leontius tradidit in VII. Syn. actio 4. circa finem.
Secundo spectari etiam debet usus, interdum e-
nim actus de se indifferens usurpatus est, & ad solum
diuinum cultum, vel semper vel plurimum accom-
modatus: ut nonnulli censent de pectoris percussio-
ne, quia est signum petendi veniam peccatorum, quæ

à solo Deo expectanda est. Et idem aliqui existimant
de hoc verbo, *Miserere nostri*, quia in Litanijis solum
ad diuinæ personæ hoc modo Ecclesia loquitur.
Sed hæc non sunt certa, nec semper vera, quia & ver-
ba illa possunt in alio sensu proferri, ut per se mani-
festum est, & infra etiam dicitur: & ab homine po-
test etiam uenia postulari de iniuria in illum com-
missa, & hæc animi submissio posset eodem exte-
riori signo indicari. Potissimum ergo in his signis ex-
ternis attendenda est præter intentionem internam,

publica impositio, nam si hæc signa sufficienti aucto-
ritate, & potestate ad significandum Deum & cul-
tum eius, sunt imposita, solum ad diuinum cultum
usurpari possunt: & si creaturis communicetur talis
cultus, erit idololatria, saltem exterior, si non ex ani-
mo, neque ex falsa æstimatione fiat. Hæc autem im-
positio in uocibus notior est, nomen enim Dei pro-
priè sumptum, aut nomen Creatoris, & similia so-
lum verum Deum, & perfectiones eius significant,
& ideo, si ad creaturam, & laudem eius deputentur
idololatria est. At verò in alijs actionibus, sacrifici-
um in proprium Dei cultum maxime institutum est,

teste August. 8. de Ciuit. capite 27. & libro 10. capite
19. & libro 20. contra Faust. cap. 21. & Theodor. libro
3. ad Græcos, D. Thom. 2. 2. quæst. 84. & 85. Propter
quod Exod. 22. dicitur. *Immolans, vel sacrificans nisi*

Domino soli, eradicabitur, & propterea monuit Ange-
lus Manue Iudic. 13. *Si vis holocaustum facere, offer illud*

Domino. Et hunc fuisse gentium omnium sensum, &
consuetudinem, non obscure indicant Laodicensi
Actor. 14. qui cum errarent, Paulum & Barnabam
Deos esse existimantes, eis statim sacrificium offerre
tentarunt. Est enim sacrificium actio quædam, quæ
res aliqua in Dei honorem mactatur, vel consecra-
tur in recognitionem, & testimonium supremi do-
minij, & maiestatis diuinæ. Hanc verò significatio-
nem (ut bene August. notauit) ab impositione ha-
bet, non à natura, occisio enim vituli de se non si-
gnificat Deum esse autorem uitæ, & mortis, unde
remota impositione non continet diuinum cultum:
tamen postquam imposita est, iam habet rationem
sacrificij, & diuino cultui contrarium esset illam al-
teri offerre. Et ad hunc modum in lege Euangelica,
cultus sacramentorum adorationem latræ conti-
net & maxime nostrum incruentum sacrificium, in
quo Deus ipse est, qui offertur: & ideo natura, & di-
gnitas talis rei oblata postulat ut soli Deo offeratur,
quamuis hæc ipsa oblatio, & sacrificium ex institu-
tione ortum habeat.

Ex quo tandem colligit August. sacerdotes, tem-
pla, delubra, altaria, aras, per se primo soli Deo dicari
posse, hæc enim omnia, cum ad sacrificium referantur,
latræ cultum continent. Quomodo autem in-
terdum templa, & alia huiusmodi ad honorem San-
ctorum ordinentur, in sequentibus explicabimus.

Dices: esto sacrificium soli Deo offerendum sit, ta-
men sacrificium non est adoratio, sed actus religio-

nis distinctus, ut sumitur ex D. Th. 2. 2. q. 84. & 85. ergo
inde non habemus aliquam adorationem exter-
nam soli Deo dicatam. Respondetur, licet non o-
mnis adoratio sit sacrificium, tamen sacrificium es-
sentialiter esse adorationem, quia offertur in signum
subiectionis & honoris debiti supremo Domino, ut
D. Tho. dict. q. 85. a. 1. tradit, & a. 3. ait, *Sacrificium in-
de habere laudem*, quod in diuinam reuerentiam
fit, idem autem est diuina reuerentia, quod adora-
tio. Unde in Scriptura verbum adorandi pro verbo
sacrificandi ponitur, Gen. 22. *Postquam adorauerunt
reuerteremur ad vos*. Vbi Abraham loquitur, quando i-
bat ad sacrificandum solum. Et ita etiam multi-
telligunt illud Ioan. 4. *Patres nostri in monte hoc adora-
uerunt*, &c. Nil ergo obstat, quod D. Tho. in 2. 2. prius
de adoratione, in q. 84. postea de Sacrificio in q. 85. di-
fuerit, nam communior est adoratio, quæ quoad
signa externa peculiari modo per sacrificium exer-
cetur, & ideo oportuit propria quæstione illum ex-
plicare. Non inficior, fore interdum nomen ad-
orationis applicari ad alias actiones adorandi, quæ ne-
que sunt sacrificia, neque habent alia peculiaria no-
mina, sicut nomen commune solet interdum acco-
modari uni rei singulari, vel specificæ, quomodo vi-
detur voce usus D. Thom. 2. 2. q. 81. art. 1. ad primum.
Sed tamen id solum spectat ad vltim vocis, tamen
res ipsa, & ratio adorationis propriissimæ in sacrifi-
cium conuenit, solumque in signo externo, seu ma-
terialiter, ab alijs actibus propriæ ac diuinæ adora-
tionis differt in esse virtutis, & cultus, quod est etiā
notandum ad intelligendam vim plurium uocum
aliarum, in hæc materia occurrentium.

DISPUTATIO LII.

In tres sectiones distributa.

De adoratione Sanctis hominibus, vel Angelis ex-
hibenda.



Vo breuiter in hæc disputatione tra-
ctanda sunt. Primum utrum adoratio
sanctorum licita sit. Secundum qualis
illa sit, vel esse debeat. Loquimur au-
tem de sanctis uita functis, quos sup-
ponimus beatos esse, & cum Christo regnare, ut in
1. 2. q. 4. latius probatum est. Quamuis uero oratio
seu petitio quendam cultum contineat, quia uero
hic solum in communi de adoratione agimus, ideo
quæstionem de sanctorum inuocatione in presenti
remittimus in 2. 2. q. 83. attingemus uero nonnulla
inferius de Beatissima Virgine disputantes.

SECTIO I.

Utrum Sancti, & beati Angeli, vel homines sint
adorandi.

Vit antiqua hæresis, quæ simpliciter negauit
Sanctis esse adorationem tribuendam, cuius præ-
cipuus autor dicitur fuisse quidam Eustathius Seba-
stæ Episcopus, quamquam Nicephor. libr. 9. histor.
cap. 16. & 45. & Socrates libro 2. capite 33. eius erro-
res referentes, huius mentionem non fecerunt. In
Concilio tamen Gangrensi, quod aduersus illum
congregatum est, licet non expresse asseratur, indi-
catur tamen, illum fuisse in hoc errore versatum,
nam canone 10. ita definitur: *Si quis sanctorum memo-
rias contemnendas putauerit, anathema sit*. Fuit autem
multo antiquior hic error, illum etiam in Gnosticis
reprehendit Irenæ. libr. 3. c. 20. & eundem fuisse secu-
tum Eunomium, & Porphyrium refert Lindanus
dialog. 2. & postea ipsum secutus est Vigilantius teste
Hier. ac deinde VVicleph teste VValden. libr. 3. de
sacramentalib. titol. 13. Ac denique Lutherus, Calui-
nus, Zuinglius, ut ex Præfatio constat, & fere reliqui
recentiores hæretici hanc hæresim excogitauerunt. Nec
solum

Scipio
Socrat.
Cicero
Gang.
Hier.
Valden.
Luther.
Calui.
Zuingl.